

es in voluntate Domini; et pax vobiscum **A** catholicæ communionē perseverantes, ad vitam per-
neat; atque in fide recta, ac bonis operibus, venialis æternam. Quod ipse præstare dignetur, cujus
ordia bona, et amore conjugali sincero, nec regnum et imperium sine fine permanet in sæcula
in confessione sanctæ Trinitatis, et Ecclesiæ sæculorum. Amen.

ADMONITIO AD LECTOREM

DE OPUSCULO SEQUENTI.

pserat Hincmarus, teste Flodoardo, metricum
egregium ad Carolū regem, quod appellavit
lum Salomonis, versibus constans quadrin-
quadraginta sex, cui et solutæ orationis par-
titeram adjecerat, quæ illius explicationem

continebat. Hæc est quæ nunc primum in lucem
datur ex antiquo exemplari. Prioris enim partis nihil
vidimus præter versus duodecim, quos suo loco
inter auctoris fragmenta proferemus.

HINC MARI

ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS

EXPLANATIO IN FERECULUM SALOMONIS

Hoc regium ferculum, quod doctores sancti **B**
are dicunt Ecclesiam, corpus scilicet Christi,
us unitate eidem Christo per fidem, ut supra
travimus, quisque incorporatur, multis in
lura vocatur nominibus: ut est regnum cælo-
mulier, sponsa, uxor, columba, dilecta, vinea,
vile, civitas, turris, columna, firmamentum,
s, templum, corpus Christi, plenitudo Christi,
a, nuptiæ, cæna, et aliis, quæ lector forte
t invenire, fecit sibi rex Salomon, id est paci-
Idida, hoc est dilectus Domini, Coeleth, hoc
ncionator ipsius quidem Ecclesiæ. His quippe
s nominibus vocatus est Salomon, quia tota
a Trinitas fabricavit templum veri Salomonis,
ris scilicet Dei et hominum Mediatoris, in
beate et gloriosæ semperque Virginis ejus-
genitricis dominæ ac dominatricis nostræ **M**
spiritus enim sanctus supervenit in eam, et
Altissimi patris obumbravit illi: ideoque
quod ex duabus et in duabus substantiis
naturis in unitate unius personæ ex ea natum
anctum vocatur, et est Filius Dei, per quem
in excelsis Deo cantatur, et in terra pax est
nibus bonæ voluntatis; qui est Filius dilectus
o Patri bene complacuit, et a cujus facie est
ia et intellectus, et qui docet hominem scien-
et Spiritu sancto suo docet Ecclesiam omnem
tem. Fecit autem hoc ferculum sibi iste Rex
n et Dominus dominorum de lignis Libani,
Ecclesiam de fortibus animo et constantia ani-
is construxit. Ligna quippe Libani et celsitu-
et specie et sui natura imputribili multum **D**
ninent. Sic hæc ligna rationabilia atque fructi-
his et aliis virtutibus præeminent, non a se,

verum ab illo, qui hæc eadem ligna in ædificio
hujus feruli, id est Ecclesiæ, istiusmodi gratiosa
prædestinationis et electionis suæ gratia, id est gra-
tis data, composuit; qui omnes homines vult salvos
fieri, et neminem vult perire. Ut enim de costa
dormientis Adæ in paradiso fabricavit Evam, ita
ineffabilis misericordiæ gratia in cruce dormiens,
de latere suo profundens aquam et sanguinem,
quibus et lavacro rigaretur et poculo, ædificavit
Ecclesiam; quam mundat lavacro aquæ **757** in
verbo, et redimit sanguine pretioso, ut videlicet
agni immaculati et incontaminati, qui est ipse
Christus Jesus, et sanctificat Spiritu sancto suo,
salvum faciens in singulis, qui est passus pro omni-
bus, totum hominem, videlicet corpus et animam, et
hoc in sabbato, id est in requie unitatis Ecclesiæ, in
qua per salutarem spem fideles ad requiem tendunt
perpetuam; spe enim salvi facti sumus.

Hujus feruli columnæ sunt duæ, quia turbæ quæ
præcesserunt, et quæ Dominicum subsequuntur
adventum, per fidem Mediatoris ipsius, videli-
cet pacifici regis et feruli ædificatoris salvatæ
atque salvandæ, unius ejusdemque credulitatis
confessione clamant dicentes Osanna: *Per gratiam
enim, inquit Petrus, Domini Jesu credimus salvari
quemadmodum et illi (Act. xv, 11).* Vel certe duæ
columnæ sunt feruli, quia quisquis in unitate
præsentis Ecclesiæ cum fide recta et operibus bo-
nis perseveraverit, in futura, id est in æterna Ec-
clesia, de incorruptione animæ simul et corporis
inenarrabili exultatione repletus atque glorificatus
sine fine gaudebit. Quoniam Deus omnia in mensura
in qua constat qualitas, in numero quo continetur
quantitas, in pondere quo significatur **ratio per-**

æquata, qua pondus virtutis non oneris electorum accipiunt animæ, illo disponente qui secundum Job *posuit ventis pondus* (Job xxviii, 25) : ut ab intentione Dei non jam levi motu dissiliant, sed in eum fixa constantiæ gravitate consistant : per quæ iudicio et in sæcula illius omnia constant, per quæ mundum constituit gubernat et iudicaturus est, qui comprehendere vel reprehendere non potest, præmia vel pœnas singulis redditurus cuncta disposuit. Prima istius columnæ ferculi tribus et triginta constat capitulis : quia quisquis in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti baptizatus ex aqua et Spiritu sancto renascitur, Decalogi mandata cum fide sanctæ Trinitatis necesse est perseveranter custodiat, si ad vitam vult pervenire perpetuam. Et denarius numerus ternario superposito in eisdem capitulis ter ducitur : quia mulier, catholica videlicet Ecclesia, acceptum fermentum, sanctæ Trinitatis scilicet fidem, per dilectionem operantem in farina sata tria abscondit, quando Asiæ, Africæ et Europæ illam prædicare procurat, donec fermentetur totum, id est orbi universo prædicetur Evangelium regni acceptum a Domino Jesu Christo de his quæ cœpit et perfecit facere et docere. Tertio die in evangelica lectione commemorato venit ad nuptias : hoc est tertio mundi tempore per incarnationis mysterium eandem sanctam sibi Ecclesiam sociavit. Primum quidem sæculi tempus ante legem, patriarcharum exemplis, secundum sub lege, prophetarum scriptis, tertium sub gratia, evangelistarum præconis, quasi tertii diei luce mundo refulsit, in quo isdem Dominus et Salvator noster pro redemptione generis humani incarnatus apparuit. Sed et idem denarius numerus in trigonum ductus tricesimum implet numerum, quo anno Christus baptizatus cuncta sanctificavit suo baptisate fluentia nobis **758** aquarum, et hujus sanctificationis gratia tricesimo ætatis anno Jesus venit in baptisma : quia scilicet post baptisma istud legem erat veterem soluturus. Propterea usque ad hanc ætatem, quæ omnia potest capere peccata, in legis observatione permansit : ne quis diceret ideo cum solvisse legem, quia eam non valeret implere. Neque enim omnis prorsus ætas cunctis vitiis opportuna est. Nam primos adhuc annos imprudentia et imbecillitas animi simul obsident : adolescentiæ vero tempus ferventior impugnat libido : reliquam vero ætatem habendi maxime cupido sollicitat. Propterea igitur omnem hanc Christus expectavit ætatem, per quod omne tempus justitiam legis implevit, ac tunc demum venit ad baptisma, quasi cumulum illud cunctis observationibus legis adimplens. Qui quoniam ipso, quod tricenus inchoavit, baptismo totius sit Ecclesiæ sordes expiaturus, eorundem quoque numerorum mystica cognatio declarat : quia videlicet triginta æqualibus suis partibus computata pariunt amplius duodecimum, qui est patriarcharum et apostolorum numerus, et fiunt quadraginta duo. Habent enim partes, tricesimam, unum, quintamdecimam duo, duode-

decimam tria, sextam quinque, quintam sex, tertiam decem, dimidiam quindecim, quæ simul juncta quadraginta duo consummant : ubi mystice, ut diximus, innuitur totam Ecclesiæ perfectionem in Christi fide et gratia consistere, quæ a patriarchis primo agnita, apostolorum est latius voce diffamata : nec esse nomen aliud sub cælo in quo oporteat nos salvos fieri, quomodo in quadraginta duobus nulla est particula, quæ non æqualibus tricennarii numeri contineatur in partibus. Tricenarius ergo numerus suis partibus quadragesimum complet et secundum, quia Dominus Ecclesiam sui baptismatis sacramentis et nunc laborantem temporaliter munit, et finitis laboribus ad requiem æternaliter perducit. Et tricennalis baptizati Salvatoris ætas etiam nostri baptismatis intimare potest mysterium : propter fidem scilicet sanctæ Trinitatis, et operationem Decalogi revelata fidei gratia : quod quo sublimius intelligitur eo et doctrina publicatur. Duodenus quippe, quem partes, ut diximus, tricennarii pariunt, apostolorum numerus, prædicatorum videlicet omnium chorus, ter quaternos, sive quaterternos continere dignoscitur : quia fidem sanctæ Trinitatis, et quatuor sancti Evangelii libros, ab orthodoxis doctoribus ante finem mundi oportet per quatuor partes, Orientis scilicet, Occidentis, Aquilonis et Austri, quadrato orbis termino prædicari. Quasi enim quoddam sacrosanctum triennii tempus baptizandos habere docuit, qui ait, *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti* (Matth. xxviii, 19) : quasi idem hoc triennium per decem multiplicari præcepit cum subjunxit, *docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis* (ibid., 20). Qui tribus annis ac bis ternis mensibus mundi tenebras exemplo et verbo suo de dilectione Dei et proximi sanans **759** corpora simul et animas, illustrare dignatur, pro generis humani salute in cruce occubuit. Evidenter ostendens, quia prælatis apostolis, martyribus, confessoribus, cæterisque arctioris ac perfectioris vitæ viris, quorum inenarrabilem gloriam de manifestissima divinitatis visione sempiternæ Trinitatis illi tantum sciunt, qui ea perfrui meruerunt, sunt plures in Ecclesia justis, fide sanctæ Trinitatis, in qua et incarnatio Domini nostri Jesu Christi veraciter continetur, qua non accessit quaternitas, sed in uno Filio Deo et homine, qui est in gloria Dei Patris, cum eodem Patre et sancto Spiritu permanet Trinitas, spe, charitate et operibus bonis perfecti, qui post carnis solutionem continuo beata paradisi requie suscipiantur, exspectantes in magno gaudio, in magnis congaudentium choris, quando recepto corpore veniant et appareant ante faciem Dei. In semisse autem anno demonstrans, quia nonnulli propter bona quidem opera ad electorum quidem sortem præordinati, sed propter mala aliqua, quibus polluti de corpore exierunt post mortem severe castigati, excipiuntur flammis ignis purgatorii, et vel usque ad diem iudicii longa hujus

natione a vitiorum sorde mundantur, vel certe amicorum fidelium precibus eleemosynis, jejuniis, fletibus, et hostiæ salutaris oblationibus abspiciuntur, et ipsi ad beatorum perveniunt. Tot etiam annis, id est tribus et dimidio, Christus sui ostentabit signa mendacii, ostentans se tanquam ipse sit Deus signis et mendaciis, adhibens minarum atque pœnarum terrorem non prævalebit in eos, qui in fidei rectæ et in bonorum perfectione, gratia ipsius auxilii persistent. Qui in carne apparens factus ex re, factus sub lege ut eos qui sub lege erant crearet, ut adoptionem filiorum reciperemus, post incarnationem tricesima tertia die ad templum missus est, et legalia pro eo munera oblata, qui a divinitus consecrat. Trigonus etiam Decalogus et tres dies, atque oblatio ad templum delata, Iesus et sacrificium Ecclesiæ, quæ est corpus Christi, designant, de quibus ipse in Evangelio dicit, *perficio dæmonia et sanitates perficio hodie et cras, et hanc diem consummor* (Luc. XIII, 32) : quia expeller dæmonia, cum, relictis paternis superstitionibus, credunt in eum gentes : et perficiuntur sanitates, cum secundum ejus præcepta vivitur, aquam fuerit diabolo et huic sæculo renuntiatusque in finem resurrectionis, qua tanquam consummabitur, hoc est ad plenitudinem animæ per corporis etiam immortalitatem perficitur Ecclesia. Quapropter hujus numeri ratione quisquiliam colligat, quia ille a corruptione corripitur et animæ tantum salvabitur, qui in fide rectæ decenario numero, et in operibus bonis, quæ

● Ducentis etiam et decem versibus, de dogmatibus ecclesiasticis contra prave sentientes doctorum loquens sensibus, hæc columna constare dicitur : cujus est supputationis ista intentio, ut incipiamus a minori numero, id est a decem, deo progrediamur in postmodum. De denario et numero catholici doctores multa dixerunt et fortia, ex quibus quædam hic compendii adnotare curavi. Dicunt namque quia in decenario sit consecratus : cujus decalogi, psalterii et decem chordarum, decem præcepta Deus suo Moysi in monte in duabus tabulis lapideis inscripta dedit : tria in una tabula ad Deum pertinentia, quia Deus Trinitas est, et in redemptione nostræ mysterio tres sunt qui testimonium perhibent spiritus, aqua, et sanguis, et tres unum sunt : spiritus utique sanctificationis, et sanguis redemptionis, et aqua baptismatis : quæ tria unum sunt et idcirco manent, nihilque etiam a sui connexionem gignunt, et ut beatus cantat Ambrosius :

Trinitas trina viget sub majestate Tonantis.
Pater, et Verbum, sanctus quoque Spiritus unum.
Una salutaris species crucis, una redemptrix.

A Tertia lux Dominum remeantem a morte recepit.
Trina dies Jonam tenuit sub viscere celi.
Tres pueri crevere Deum flagrante camino.
Ter Sabaoth sanctum referens benedictio psallit.
Ter mergendus aqua est cui gratia plena lavacri.
Testibus et stabilis constat tribus actio cuncta.
Terno mense suis redeunt sua tempora membris.
Tres sunt ætates, flos, robur, et ægra senectus.
Tres moduli in causis, judex, defensor, et actor.
Tres in sæcla gradus, ortus, transcursio, finis.
Tres spem quæ palpant, requies, lux, gloria vitæ.

Septem vero præcepta altera tabula dedit, quorum primum est, sicut et Apostolus monstrat, *Honora patrem et matrem* (Ephes. VI, 2). Habet præterea septenarius numerus in Scriptura sacra multipliciter ostensam perfectionem suam : videlicet quia eo dierum numero, testante Scriptura, perfecto cœlo et omni ornatu eorum, requievit Deus ab operibus suis (Gen. II), sed et per legem sabbatum in requiem datum est (Exod. XVI). Et in capite nostro, Mediatore scilicet Dei et hominum homine Christo Jesu, propheta septiformem sancti Spiritus gratiam enumeravit (Isa. XI). Septem quoque oculos, et septem candelabra, et septem sigilla, et septem tonitrua, pro perfectione Scriptura sacra enumerat, et per septem dies omne sæculum volvitur (Apoc. I, V, VI, X). Et his duobus perfectis numeris, ternario videlicet et septenario denarius constat. Est etiam, quoniam geminato quinario numero, qui perfectus est in quinque notissimis corporis nostri sensibus, et in quinque libris Moysi, constat. Sed et ab uno per ordinem usque ad quatuor numeros completur 761 denarius. Unum enim et duo et tres et quatuor simul ducti, fiunt decem : quia legis Decalogus per quatuor libros sancti Evangelii adimpletur. Et fortasse propterea qui conducuntur ad vineam, accipiunt nomine mercedis denarium, qui per semetipsum multiplicatus in centenarium surgit, et per centenarium numerum magna perfectio designatur. Per geminatum autem centenarium, et perfectio spiritus qui in hac vita electis tribuitur, et perpetua vita signatur. Unde eisdem electis suis Dominus dicit : *Omnis qui relinquit domum vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet et vitam æternam possidebit* (Matth. XIX, 29). Neque enim sanctus quisque ideo terrena deserit, ut hæc possidere in hoc mundo multiplicius possit, quia quisquis terreno studio terram relinquit, terram non relinquit sed appetit : neque qui unam uxorem deserit centum accepturus est. Sed per centenarium numerum perfectio designatur : postquam etiam vita æterna promittitur ; quia quisquis pro Dei nomine temporalia atque terrena contemnit, et hic perfectionem meritis recipit, ut jam non appetat quæ contemnit, et in sequenti sæculo ad vitæ æternæ gloriam pervenit, quæ centenario numero, qui de læva transfertur in dexteram, designatur. Unde hoc ferculum, vel hæc mensa, scilicet sancta Ecclesia de fabricatore suo, vero videlicet Salomone dicit, *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (Cant. II, 6). Per lævam quippe ejus vitæ

præsens, et sacramenta incarnationis ejus, et præsentia ipsius dona signantur : per dexteram vero vita futura, et ea quæ in futuro percipient electi præmia figurantur. In quibus non solum visio divinæ majestatis, sed et gloria est clarificatæ humanitatis, unius ejusdemque Mediatoris Dei et hominum. Unde bene lævam ejus sponsa sub capite suo poni, dexteram autem se illius anplexari desiderat, ut et nunc per temporalia ipsius subsidia a mundi perturbationibus quiescat, et tunc manifesta ipsius visione perpetuo fruatur. Æternam equidem sanctorum requiem nullus unquam turbo interpolat. Unde et recte dicitur, *Dextera illius amplexabitur me*. Quia nimirum divinæ præsentia majestatis undique suos cœlesti in regno circumteget, ne aliquam felicitatem Deo dignam, vel memoria miseriæ violet, vel metus finis angustet. Geminatus etiam cœlestis inquit, quia quiscunque ad vitam desideret pervenire perpetuam, dilectione Dei flagret ac proximi, et fide catholica atque operatione recta continue ad eam festinare contendat. In fide scilicet orthodoxa, de sancta et inseparabili Trinitate, simul et de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi, corde credens ad justitiam et ore confitens ad salutem, quia in eadem sancta Trinitate nihil est prius aut posterius, nihil majus aut minus, sed totæ tres personæ cœternæ sibi sunt et cœquales, ita ut per omnia et unitas deitatis in Trinitate sit personarum, et trinitas personarum in unitate sit deitatis : quia ex solo patre, id est 762 ex substantia Patris, æqualis et consubstantialis genitus non factus est Filius, et ex Patre simul ac Filio, cœqualis ac consubstantialis æqualiter procedit Spiritus sanctus, qui cum Patre et Filio æqualiter adoratur, quia æqualiter est Deus, totus Patris et totus Filii Spiritus, quia unus naturaliter Spiritus est et Patris et Filii. Proinde totus de Patre procedit et totus de Filio, totus in Patre manet, et totus in Filio : quia sic manet ut procedat, sic procedit ut maneat. Et hinc naturaliter hanc habet cum Patre et Filio unitatis plenitudinem, et plenitudinis unitatem, ut totum Patrem habeat totumque Filium, ipseque totus habeatur a Patre, totus habeatur a Filio : qui etiam a Patre et Filio æqualiter datur, imo et a seipso datur : ipseque donum Dei et paracletus, id est consolator, dicitur, quia revera, dum dona sacramentorum distribuit, consolationem animæ præbet : per quem diffunditur in cordibus nostris Dei charitas, per quam nos tota inhabitet Trinitas.

De Incarnatione quoque Domini nostri Jesu Christi, una ex eadem et in eadem sancta Trinitate persona, fideliter sentiat. Deum videlicet, et eum verum et perfectum ante omnia sæcula, et sine ullo initio credens, et verum ac perfectum hominem in fine sæculorum, in duabus et ex duabus naturis atque substantiis in una persona consistere : ut qui per divinitatis suæ potentiam nos creaverat ad perfrue dam vitæ beatitudinem perennis, ipse per fragilitatem humanitatis nostræ nos restauraret ad recipien-

dam quam perdidimus vitam. Qui juxta Symboli veritatem conceptus de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, ancilla ipsius hominis per divinitatem, et matre Verbi per carnem : nam utrumque illam et ancillam et matrem esse Domini veritas Evangelii, ejusdem et Elisæbeth voce demonstrat : nec alterius ancillam, alterius matrem, quia non prius in utero virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem : sed mox Verbum ante sæcula unigenitus æqualis Patri venit in uterum, mox Verbum, servata propriæ veritate naturæ, factum est caro, et perfectus homo idem in veritate carnis et animæ rationalis, operante Spiritu sancto, investigabili miraculo natus est per uterum Virginis Filius Dei, factus filius hominis unus Christus. Qui mortuus est sola carne propter peccata nostra, et resurrexit sola carne, quia peccatum non fecit, nec dolus inventus est in ore ejus, ut a peccati morte quocunque modo contracta anima resurgeret. Ascendit quoque in cælum, et sedet ad dexteram Patris, id est, in gloria paternæ majestatis : inde venturus judicare vivos et mortuos. Ad ejus adventum omnes homines resurgent cum corporibus suis, et reddent de factis propriis rationem. Et qui gratia Dei, et subsequente eadem gratiam libero arbitrio, in fide recta et operibus bonis perseveraverint, præsciti et prædestinati a Deo in gloriam, ibunt in vitam æternam electis, id est de massa perditionis totius humani generis 763 facta in Adam ipso peccante, quoniam et Eva ipsa est Adam, gratia lectis, a Deo paratam, sicut ipsa Veritas dicit, *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est ab origine mundi (Matth. xxv, 34)*. Et qui non a Deo ad interitum prædestinati, sed ab eo ex retributione justitiæ in massa perditionis relictis, in infidelitate vel malis operibus perseveraverint, ibunt in ignem æternum : ad quem Deus neminem prædestinavit, sed eundem ignem diabolo et corpori ejus ex retributione justitiæ præparavit : sicut ipse in Evangelio dicit, *Stipenda enim, inquit Apostolus, peccati mors : gratia autem Dei vita æterna (Rom. vi, 23)*. Et : *Universæ vix Domini misericordia et veritas (Psal. xxiv, 10)*. Et : *Ira, id est vindicta, in indignatione ejus, et vita in voluntate ejus (Psal. xxix, 6)*.

Altera itaque istius columna ferèculi, contradicens illis qui de iis prave sentiunt quæ in altero nobis sæculo complebuntur, triginta et octo capitulis constat : ac sic triginta et octo annis in Synagogæ porticus Satanae porticu, quam in Ecclesiæ catholicæ sinu jacentem languidum, male sentientium videlicet chorum, duodequadraginta numero, qui legis decalogo per quatuor sancti Evangelii libros impletur minus habentem, et absque dilectione Dei ac proximi, quem legis pariter et Evangelii Scriptura commendat, vacuum incedentem insinuans. In quo licet plures sint choro, si aquiescere veritati consenserint, quasi unus recuperabunt in unitate fidei sanitatem : quia præter univiam catholicæ fidei nullus cuilibet patet salutis locus. A cujus unitate

discrepat, salutem quæ ab uno est consequi
nam valet. Quæ salus æterna centenari-
o versuum numero designatur: quia
centenario promissionis filius Isaac, id est
gaudium, nascitur, illum innens qui di-
suis dixit: *Iterum autem videbo vos, et gau-
dium vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a
vobis.* (Gen. xvi, 22). Ad quam æterni salutem gau-
sexagenarium, quem superadditi sexaginta
ostendunt, perfectum numerum pervenitur.
sexagenarius numerus, quoniam sexies decem
la fiunt, in se continet senarium perfectio-
erum demonstrantem: quia sicut creator
viliis perfectus est in natura sua, ita in se-
lerum numero perfecit opera sua, et sexto
vit hominem perfectum anima et corpore,
quom creatura sunt omnia, et sexta ætate
mditor hominem reparare quem sexto die
at. Sed et denarium sexagenarius numerum
hendit, qui in decalogo consecratur, et, ut
stendimus, perficitur; quo etiam et sexage-
num numerus esse perfectus hoc modo monstra-
lire sexagenarium per denarium, et invenies
a sexagenarium numerum per denarium esse
im, sicut senarium per unitatem. Nam unum,
tres sex faciunt, qui est perfectus numerus
bus suis: ita et sexagenarius quamdam per-
m habet si partitur per denarium numerum.
nim decem, et his decem, et ter decem 764
ta fiunt; necnon et quinquagenarium com-
r senarius numerum, quo Jubilæus annus,
o scilicet peccatorum, et ad patriæ æternæ
atem reversio, et requies sempiterna expri-
Supereminet quoque conjugalem ordinem
lione sui, laboriosam vidualem continentiam
sione digiti demonstrando, quoniam quæ se-
in lacrymis in gaudio metet. In se triginta
is, qui numerus blando indicis et pollicis
lepingit et conjugem, fructum fidei per bona
it terra optima, de suscepto divini verbi
proferens: sicut centenarius numerus de
unslatus in dexteram, eisdem digitis, sed
em manu, quibus in læva manu nuptæ signi-
et viduæ, circulum faciens exprimit virgi-
oronam. Sed et fructum tricesimum verbum
quod fidem sanctæ Trinitatis ædificat, sexa-
n quod operis perfectionem docet, centesi-
mod ad dexteram regni vitam prædicat sem-
n. Necesse est igitur ut qui vult vitam, et
dere dies bonos, per sex hujus sæculi dies
es in quibus licet operari, ad sabbatum, id
equiem septimi diei sive ætatis, quando non
operari, fide recta et justis operibus, decalogi
a complendo, absque admistione pravi operis
o procuret, quatenus de corpore exiens, in
die vel ætate, sive in quinquagenarii quiete
requiescat, donec sempiternitatem contena-
octava die vel ætate cum incorruptione cor-
onsequatur. Unde et reclinatorium hujus

A ferculi aureum octonarius versuum numerus cantat:
quoniam qui in præsentis vita, id est in istis sex
diebus vel ætatibus quibus operari licet, cultro illius
petræ quæ est Christus ad instar octavæ diei quam
designat diei octavæ circumcisio, quæ antiquis loco
dabatur baptismatis, ejus videlicet fide, spe, et cha-
ritate, non solum in baptisate, sed et in omni
prorsus actione devota, se purificare curaverit, et
in septima sabbati feliciter requiescet, et in octava
glorificatus resurget. Quæ et ipsa quotidiana nostra
circumcisio, id est continua cordis mundatio, sem-
per octavæ diei sacramentum celebrare non desistit,
quia nos in exemplum Dominicæ resurrectionis,
quæ octava die, id est post septimam sabbati facta
est, sanctificare consuevit, ut quomodo resurrexit
Christus a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in
novitate vitæ ambulemus. Et hæc est octava resur-
rectionis nostræ plenariæ dies sine ullo temporis
fine beata, quando vera omnimodæ circumcisio
gloria coruscante, non ultra corpus quod corrumpi-
tur aggravat animam, non ultra terrena inhabitatio
deprimit sensum multa cogitantem, sed corpus jam
in corruptibile lætificat animam, et sublevat cœlestis
inhabitatio totum hominem visioni sui conditoris
inhærentem, quando renovabitur sicut aquilæ ju-
ventus nostra. Quod reclinatorium nobis Salomon
noster fecit, cum spem perpetuæ quietis fidelibus
promisit. *Tollite, inquit, jugum meum super vos,
765 et discite a me quia mitis sum et humilis corde,
et invenietis requiem animabus vestris* (Matth. xi,
29). Et hoc reclinatorium fecit aureum, quia re-
quiem nobis æternam divinæ suæ visionis gloria
coruscantem præparavit. Hinc etenim dicitur: *Qui autem
diligit me diligetur a Patre meo, et ego diligam eum
et manifestabo ei meipsum* (Joan. xvi, 21). Vel certe
fecit reclinatorium in ferculo fidelibus aureum, quia
omnes resurgemus, non autem omnes immutabimur,
quoniam Christus passus pro omnibus acquisivit
omnibus resurrectionem, fidelibus autem incorrup-
tionis et animæ et corporis gloriam, de quibus di-
citur, *Resurgent in resurrectione justorum* (Luc. xiv,
14), cum omnes sine ulla dubitatione resurgent.
Ascensum autem hujus ferculi Idida, hoc est dilectus
Filius Patris in quo ei bene complacuit, fecit pur-
pureum: vera enim purpura maritimum conchy-
liorum sanguine tingitur; quia vivus et copiosus
redemptionis sanguis agni immaculati et incontami-
nati Jesu Christi, de Spiritu sancto, id est opera-
tione Spiritus sancti, ex virgineo sanguine sementi-
væ naturæ, videlicet ex immaculata Virginis carne,
sine ulla carnali concupiscentia, et absque ullo virili
attactu, singulariter concepti, et clausa virginali
utero, ac virginalibus integris inconvulsis atque in-
temeratis mirabiliter nati, lavit nos a peccatis
nostris. Qui sanguis, videlicet ipsius agni tollentis
peccata mundi, de conchyliis marinis ferro elicitur,
quia per seriem stirpis hominum peccatorum, quasi
marinis fluctibus oppressorum, sicut genealogia
Evangelii monstrat, de Abraham et David stirpe pre-

cessit, et incisione ferri, clavorum videlicet et lanceæ, sacramenta redemptionis nostræ de ipso sacratissimo corpore, in quo erat Deus mundum reconcilians sibi, et in quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, nobis emanaverunt, quibus idem rex ac Dominus noster, qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in ipso sanguine suo, non solum quando sanguinem suum dedit in cruce pro nobis, vel quando quisque nostrum in mysterium sacrosanctæ passionis illius baptismi aquis ablutus est, verum etiam quotidie tollit peccata mundi, lavatque nos a peccatis nostris quotidianis in sanguine suo, cum ejusdem beatæ passionis ad altare memoria replicatur, cum panis et vini creatura in sacramentum carnis et sanguinis ejus ineffabili Spiritus sanctificatione transfertur, sicque corpus et sanguis illius, non infidelium manibus ad perniciem suam funditur et occiditur, sed fidelium ore suam sumitur in salutem : et non nisi purpureus ad hoc ferculum invenitur ascensus, quia nullus Ecclesiam nisi sacramentis Dominicæ passionis imbutus ingreditur. Unde ipse ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu, non intrabit in regnum cælorum* (Joan. III, 5). Et: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, habebit vitam æternam, et ego resuscitabo eum in novissimo die* (Joan. VI, 54-55). Ferculi vero ascensus purpureus ideo versibus triginta describitur, quia, juxta Apostolum, *Quicumque baptizati sumus in Christo Jesu, baptizato videlicet tricesimo ætatis suæ anno, in morte ipsius baptizati sumus* (Rom. VI, 3). In quo tricesimo numero Decalogi denarius triplicatur, quia perfectio fidei atque bonorum operum baptismatis sanctificatione perficitur. In quo impletur omnis justitia, quia in eo est sanguinis Christi redemptio, sancti Spiritus sanctificatio, et aquæ baptismatis perfecta mundatio.

In hoc autem ferculo Salomon vere quidem pacificus, qui pacificavit per sanguinem crucis suæ ea quæ in cælo sunt, et ea quæ in terra, et solvens medium parietem, fecit utraque unum, duos condens in seipso, media charitate constravit propter filias Jerusalem: ca ipsa videlicet charitate qua pro nobis passus est: majorem enim hac charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis, et sicut Apostolus ait; *Commendat autem Deus suam charitatem in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro impiis mortuus est* (Rom. V, 8). Siquidem hanc mediam Ecclesiæ suæ strati instar paravit, ubi fideles animæ molliter quiescerent: quia totam eam intrinsecus supernorum amore replevit: et hoc est quod addit, *Propter filias Jerusalem* (Cant. xv, 10), id est propter animas cælestium desiderio flagrantem. Quanto enim majorem Deus charitatem suam pro nobis patiendo commendavit, tanto plures ad se redamandum ac pro se patiendum accendit. Ipsa autem charitas, quin imo misericordia nostra, cui dicit Psalmista, *Deus meus miseri-*

A cordia mea (Psal. LVIII, 18), scilicet agnus qui tollit peccata mundi, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, in cruce duobus versibus eundem agnum, atque in eodem agno in una eademque littera concinentibus pingitur: quæ etiam crux quatuor versibus unius mensuræ, et in eisdem litteris in capite vel in fine congruentibus, per quatuor mundi partes promissionis filios, et æternæ hæreditatis Christo cohæredes, id est electos et prædestinatos ad vitam in gremio redemptionis Christi, qui est passus pro omnibus, complectitur omnia gyro: prædicans scilicet mundo quæ sit ipsius crucis mensura, longitudo videlicet et latitudo, sublimitas et profundum in dilectione Dei et proximi. Qui duo et quatuor versus conjuncti senarium complent numerum: quia sexto die homo conditus, sexto item die crucis est mysterio reparatus. Qui senarius numerus apud sæculi sapientes idcirco dicitur esse perfectus, quia suo ordine numeratus perficitur, ut cum unus, duo, tres dicuntur senarius numerus impletur: vel quia in tribus partibus dividitur, id est sexta, tertia et dimidia: videlicet in uno, duobus et tribus. Ab ecclesiasticis autem doctoribus ideo perfectus dicitur numerus, quia sexto die perfecit Deus omnia opera sua, et sex sunt hujus sæculi ætates notissimis temporum distinctæ articulis, in quibus, quasi in sex diebus quibus licet operari, pro Deo laboribus insistere, et pro adipiscenda requie sempiterna necesse est operari: et post dies sex gloriam sui regni quam spondit discipulis Salvator ostendit: quia **707** qui Deum videre, et ad gloriam beatæ resurrectionis pertinere concupiscit, per sex dies debet agere bona quæ novit. Sex quoque sunt evangelicæ lapidæ hydriæ, fortia scilicet sanctorum præcordia, fide et dilectione Dei ac proximi, et meraca atque purissima absque aliqua mistura hæreticæ pravitatis Scripture sacræ scientia repleta: quia quisquis salvari cupit, non solum necesse est ut de fide sanctæ Trinitatis atque incarnationis Dominicæ fideliter sentiat, verum et in omnibus ecclesiasticis dogmatibus ab omni peste hæretica et schismatis præcisione immunem se suosque auditores summopere custodire, et a peccatorum sorde abluere, et divinæ cognitionis puro fonte potare procuret: et illi omnes præcipue, quorum perfectio vitæ et fidei ad exemplum recte credendi ac vivendi aliis proposita esse dignoscitur.

D Præfatio denique ferculi, dilectissimum alloquens principem, idem ferculum exponendo viginti et quatuor versibus scribitur, quia fide recta et operibus bonis meritoque vitæ et scientiæ doctrina plenum dilectione Dei et proximi in omnia pia devotione et actione, de gratia et arbitrio libero recte sentientem, sicut ad unumquemque fidelem dicit Dominus per prophetam: *Ex me fructus tuus inventus est* (Os. XIV, 2); id est donum gratiæ meæ prævenientis quæ bene agis ex me est, et subsequenti arbitrio tuo fructus inventus est. Sicque monstratur a Domino, quia quod bonum volumus, cogitamus, loquimur et agimus, et Dei est per prævenientem gratiam, et

est per liberi arbitrii subsequentem ob-
um. Unde et remunerabimur, et misericordias
i in æternum cantabimus, inobedientes au-
erito damnabuntur. Et hinc regem scriptor
sæculo bene vivere, et in æternum cum
o regnare desiderat. Ea propter et in eadem
ione denarius geminatur, qui per quatuor
Evangelii libros completur: quia et sine fide
sibile est placere Deo, et fides sine operibus
a est in semetipsa. Sed et in ea dualis nume-
plicatur: quia scientia sine charitate inflat,
is autem cum scientia sana ædificat: et in-
is est bonus omnibus facientibus eum, et di-
e Dei prælata, cui nulla numeri mensura im-
r, de qua ex toto corde, et ex omni mente, et
inibus viribus nostris præcipitur, dilectio
i in duobus præceptis subdividitur, cum di-
Job. iv; Matth. vii): Quod tibi fieri non vis,
feceris, et quæ vultis ut faciant vobis homines,
eadem facite illis.

pletio siquidem summam versuum proferens
ersibus agitur, et sub ferculi reclinatorio,
esurrectionis octavam diem demonstrat, po-
quia sicut sunt duæ mortes, corporis scilicet
essionem ab eo animæ, et animæ per admis-
in se peccati: ita et duæ sunt resurrectiones,
videlicet, quando indulgentiæ vivificatio per
pœnitentiæ fructus gratia Dei acquiritur;
corporis, quando in adventu Domini omnes
resurgent cum corporibus suis, et reddituri
s factis propriis rationem: et beatus qui ha-
partem in resurrectione prima, quoniam non
r a morte secunda, et accipiet binas stolas,
talitatem scilicet et incorruptionem corporis
et animæ. Sed significantia istius resurrectio-
ma ordine recte illi supponitur quæ præcel-
est dignitate: sicut et Scriptura de compun-
genere dicit: *Dedit illi pater suus, quin Caleb
liæ, irrigum superius et irrigum inferius*
(1, 15); cum electi prius plangat de inferiori
anima, ut non ducatur ad supplicium, postea
superiori irriguo, quia differtur a regno.
i autem ferculi versuum heroici et elegiaci
is, quam secum completio designavit, qua-
tis quadraginta et sex versibus constat, et
ecies ductus denarium perficit. De quo quia
ater supra jam diximus, hoc iterum replicare
s. Denarius etenim quater ductus in quadra-
m surgit: quia tunc decalogi mandata perfici-
um profecto quatuor libros sancti Evangelii
mus: quos humiliter conservamus, si unde et
qualiter cecidimus incessanter aspiciamus. A
siquidem nostra, id est a paradiso, in hunc
em lacrymarum superbiendo, inobediendo,
sequendo, cibum vetitum gustando discessi-
d ad eam necesss est ut flendo, obediendo,
contemnendo, atque appetitum carnis re-
o redeamus. Et quia ab ipsius paradisi gau-
cibum cecidimus, ad hæc in quantum pos-

A sumus per abstinentiam resurgamus. Quæ abstin-
tia totum vitæ nostræ tempus in continentia a malis
operibus, et in exercitatione virtutum esse debere
designans, per quadraginta dierum numerum custo-
ditur, quia sicut filii Israel, in quorum locum suces-
simus, per quadraginta annos, transito mari Rubro,
in eremi vastitate calamitose antequam ad promissio-
nis terram venirent versati sunt, ita et nos in
exsili hujus ærumnis dignas inobedientiæ pœnas
luimus, antequam ad paradisi gaudia redeamus. In
qua probatione post sacrum baptisma prius longis
virtutum exercendi agonibus, ac deinde perpetuis
supernæ beatitudinis sumus donandi muneribus, et
accepta Dei lege, id est audito verbo divino, de pri-
sca nostra conversatione egredi, ac solitudinem vitæ
spiritalis constat debere nos ingredi, ut vita novæ
B conversationis quotidie castigati, si terram repromis-
sionis intrare volumus, quasi quotidiano Jordanis
baptismate lacrymis saluberrimæ compunctionis
ab omni vitiorum subripentium contagione purge-
mur, juxta eum qui dixit: *Lavabo per singulas
noctes lectum meum, lacrymis stratum meum rigabo*
(Psal. vi, 7). Unde recte Jordanis rivus iudicii inter-
pretatur, quia nimirum electi, quo sollicitius suam
conscientiam dijudicando examinant, eo largiores
ex intimo cordis fonte lacrymas fundunt: ut quia
minus perfectos se esse deprehendunt, sordes suæ
fragilitatis undis pœnitentiæ diluant. Sed 767
et significantia quadragenarii numeri, et effusione
diluvii, et in Jacob planctu, in exercitatione quo-
que filiorum Israel in deserto, atque in prædica-
C tione Jonæ, et aliis multis ostensionibus causa per-
fectionis in Scriptura positi, aliud etiam per neces-
sarium innuit: quia Moyses morem circumcisionis
divinitus imperatum, et quadringentis et sex annis
observatum, per quadraginta annos in eremo inter-
misit, quem Josue cultris petrinis perfecit, quia
petra erat Christus, et lex per Moyzen data est,
gratia et veritas per Jesum Christum facta est.
Idem quoque Moyses ut legem, quam Dei populo
traderet, acciperet, secundo diebus quadraginta je-
junavit; Elias in deserto quadraginta diebus absti-
nuit; ipse auctor hominum ad homines veniens in
quadraginta diebus nullum omnino cibum sumpsit.
Cur ergo in abstinentia quadragenarius numerus
custoditur, nisi quia virtus decalogi per libros qua-
tuor sancti Evangelii custoditur? Et qui per carnalia
desideria decalogi mandata contempsimus, dignum
est ut eandem carnem quater decies affligamus: et
ut per decalogi mandatorum custodiam, ac per Deo
dignam abstinentiam, ad æternam vitam, quæ cen-
tenario numero designatur, quadriga Evangelica et
cardinalibus quatuor virtutibus perferamur, necesse
est ut quadragenarius numerus per decalogi dena-
rium multiplicetur, et sic ad quadringentesimum
numerum efferatur. Quadraginta enim decies ducti
quadringentos efficiunt, quia ad æternam vitam,
quæ centenario numero et hoc quater ducto figura-
tur, electi omnes, non solum de incorruptione uni-

mæ simul et corporis, verum et de visione divinæ majestis, cum gloria mediatoris Dei et hominum clarificatæ humanitatis, sine fine reversi ad id quod conditi fuerant, ut revera in vero Jubæilo quinquagesimo videlicet anno gaudebunt. Unde quia sancta Ecclesia in quibusdam suis membris adhuc pro æterna requie laborat in terris, in quibusdam vero omni finito labore cum Christo jam regnat in cœlis, in memoriam utriusque vitæ patres nostri constituerunt gemina hæc congrua religioni solomnia, quadragesimam videlicet imminente Pascha afflictionis, et ab ipso Dominicæ resurrectionis die quinquagesimam, in qua continue psallitur Alleluia, quod evangelista Joannes ab angelis se audisse cantari perhibet (*Apoc. xix*), et venerabilis pater Tobias, ex visione angelica intelligens qualis sit supernorum civium gloria et supernæ Jerusalem claritas, dixit: *Per vicos ejus Alleluia cantabitur* (*Tob. xiii, 22*), quamvis in Ecclesia nunquam a divina laude cessetur. Et quoniam hujus quinquagesimæ celebratione fidelibus perfectio quietis innuitur, et denario numero summa perfectionis exprimitur, quinquagenario decies ducto ad quingentesimum pervenitur, aperte monstratur quia nequaquam sola nos abstinentia carnis in cibo et potu ad æterna gaudia reparat, nisi adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam cum fide recta devotio mentis ostendat. Illud quippe jejunium Deus approbat, **770** quod ad ejus oculos manus eleemosynarum levat, dicente propheta, *Sanctificate jejunium* (*Joel 1 et 11*). Jejunium namque sanctificare, est adjunctis bonis aliis dignam Deo abstinentiam, ut diximus, carnis ostendere: quia in cassum caro atteritur, si a pravis voluptatibus animus non refrœnatur, et Redemptori nostro unum sine altero placere nequaquam potest, si aut is qui bona agit adhuc luxuriæ iniquamenta non deserit, aut is qui castitate præminet, necdum se per bona opera exercet: et qui bona aliqua pro mundi honestate inchoat, nequaquam in ejus intentione debet permanere, nec per bona opera presentis mundi gloriam quærere, sed totam spem in Redemptoris sui adventu constituat. Sunt namque plerique continentis, qui corpus per abstinentiam affligunt, sed de ipsa sua abstinentia humanos favores expetunt, doctrinæ inserviunt, indigentibus multa largiuntur. Sed satuæ profecto sunt virgines, quia solam laudis transitorie retributionem quaerunt, quia, dicente Domino, laborum suorum damnabilem mercedem recipiunt (*Matth. vi*). Sed et bona etiam cum simplici intentione facta tunc Deo sunt placita, si fuerint sine pravi operis admistione oblata, sicut scriptum est: *Declina a malo et fac bonum* (*Psal. xxxvi, 24*). Prius est enim declinare a malo, et tunc ut proficiat agere bonum: prius de præteritis digne pœnitere peccatis, et tunc ut prosint bonis insudare operibus. Sed pœnitentiam agere digne non possumus, nisi modum quoque ejusdem pœnitentiæ cognoscamus. Pœnitentiam quippe agere est, et perpetrata mala plangere, et

plangenda non perpetrare. Nam qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata quis luxuriæ defleat, et tam enadhuc avaritiæ æstibus anhelet? Aut quid prodest si iræ culpas jam lugeat, et tamen adhuc invidiæ facibus tabescat? Necessè est etiam, ut qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere: quatenus per hoc conditori suo satisfaciat, ut qui commisit prohibita, sibimetipsi abscidere debeat etiam concessa, et se reprehendant in minimis, quem meminit deliquisse in maximis: et sic vere pœnitentiam agimus, si ea quæ commisimus perfecte deploremus: et illos nimirum emendatior vita sanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflictio flentium mundat. Et quia de quadringentorum versuum numero diximus, restat ut rationem de commemorato quadraginta sex versuum numerum compleamus. Hic etenim annorum numerus perfectionem Domini corporis, cujus sanguine redempti sumus, cujus carne pascimur, et cruore potamur, cujus passionis sacrosanctis mysteriis, et in anima et in corpore, a peccatis etiam et ab ipsis corruptionibus, quæ ob peccata contigerunt, salvabimur, aptissime congruit. Tradunt enim naturalium rerum scriptores, formam corporis humani tot dierum spatio perfici: quia videlicet primis sex a conceptione diebus lactis habeat similitudinem, sequentibus novem convertatur in sanguinem, deinde **771** duodecim solidetur, reliquis decem et octo firmetur usque ad perfecta linimenta omnium membrorum. Et hinc jam reliquo tempore usque ad tempus partus magnitudine augmentatur. Sex autem et novem et duodecim et decem et octo quadraginta quinque faciunt: quibus si unum adjecerimus, id est ipsum diem quo discretum per membra corpus crementum sumere incipit, tot nimirum dies in ædificatione corporis Domini, quot in fabrica templi annos invenimus. De quo templo dicenti: *Solvite templum hoc et in tribus diebus excitabo illud, responderunt Judæi: Quadraginta et sex annis ædificatum est templum hoc, et tu tribus diebus excitabis illud?* (*Joan. 11, 19*). Et quia templum illud manu factum sacrosanctam Domini carnem, quam ex Virgine sumpsit, ut ex hoc loco discimus, figurabat, quia æque corpus ejus, quod est Ecclesia, quia uniuscujusque fidelium corpus animamque designabat, mundemus quotidie per omne tempus vitæ nostræ templa corporum cordiumque nostrorum, ut spiritus Dei habitare dignetur in nobis, et juxta quod Apostolus admonet: *Abjectis operibus tenebrarum, induamus nos arma lucis: sicut in die honeste ambulemus, non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudiciis, non in contentione et æmulatione: sed induamus nos Dominum Jesum Christum* (*Rom. xiii, 12-14*), qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

his nulla desit, Carle chare, gratia
mensura pandit, atque ærarum quantitas.
non mensa dives cognomento ferculum,
vobis sana princeps per doctorum fercula.
sermone dicta strinxi lege carminum,
inserta junxi diversis ut calleas
nam nempe de his explanavi largius,
rens quippe quædam computavi strictius,

A Et si dignum stricta ducis explicari plenius.
Adsum votis forte nobis si donantur otia
Prendat rex quæ præsul offert, et demonstret ma-
[ribus
Sensu verbo hæc in actu cunctis regno subditis
Longa felix vivat isto Carlus vita sæculo,
Vivat clarus semper almo sanctorum in consortio.

HINCARI

ARCHIEPISCOPI RHEMENSIS

OPUSCULA VARIA

I.

DE REGIS PERSONA ET REGIO MINISTERIO

AD CAROLUM CALVUM REGEM.

(Apud Sirmondum, ex codice S. Remigii Rhemensis.)

PRÆFATIO.

glorioso fideliter devotus et devotè fidelis.
antes præceptum Domini per prophetam
Interroga sacerdotes legem meam (Agg. II,
quibusdam capitulis me consulere vobis
e quibus quoniam per se Veritas dicit, *Qui
o loquitur, gloriam propriam quærit* (Joan,
ignam duxi non nudo meo sermone vobis
, sed quid in Scripturis sacris et per
doctores inde loquatur Spiritus sanctus,
odoriferos flosculos, ut revera de agro
ripturarum scilicet campo, cui benedixit
breviter in unum vobis colligere. Et sciens
a, *Quod supererogaveris, ego cum rediero
bi* (Luc. x, 15), de his quæ regio ministerio
eo commisso competere vidi, quasi scin-
antes lumini scientiæ vestræ superadjeci.
, ut Comicus dicit (*Ter. in Andr.*) :
sequium amicos, veritas odium parit,
sentatio, videlicet adulatio, principi ac do-
æ placere debet, minime autem sacerdotem
um oportet, si quiddam mordacius dictum
tius a me collectis de regis persona et regio
o inveneritis, non contra vos, quæso, sed
eas me collegisse putetis, quoniam aut
benignitate ac bonitate, sicut ipsæ descri-
entia, vos esse et sic agere scio, aut talem
agere cupio. Hujus autem libelli sententiæ
unt collectione distinctæ. Primo quidem de
egis et regio ministerio in generali reipu-
isa. Deinde quæ debeat esse discretio in
dia, et de ultione specialium personarum,

B quæ si exitialiter agentes aliter non potuerint corrigi,
temporali morte præcipiuntur multari, quod a qui-
busdam dicitur contradici. Tum quia rex propter
ministerium regium, etiam nec quibuscunque pro-
pinqunitatis necessitudinibus, contra Deum sanctam-
que Ecclesiam atque contra rempublicam agentibus
criminaliter, affectu carnali parcere debeat.

CAP. I. — *Quod bonos reges Deus facit, malos per-
mittit.*

Quoniam, ut scriptum est, *Domini est regnum*
(Psal. xxi, 19), et cui voluerit dabit illud (Dan. iv,
14) : et sicut beatus Augustinus in libro de Bono
perseverantiæ dicit (cap. 6) : « Nihil fit nisi quod aut
Deus facit, aut fieri juste permittit, » cum boni reges
regnant, sicut Dei gratia boni sunt, ita et Deo agente
regnant, sicut ipse dicit : *Per me reges regnant* (Prov.
viii, 15); et cum mali reges regnant, sicut mali sunt
suo vitio, ita et regnare permittuntur divino judicio,
interdum occulto, sed nunquam injusto, sicut scrip-
tum est : *Qui facit regnare hypocritam propter pecca-
ta populi* (Job xxxiv, 30). Fuit dictum est, ex justi-
tiæ retributione permittit, eo locutionis genere quo
dicitur, *Induravit Dominus cor Pharaonis* (Exod.
ix, 12). *Induravit* dictum est, per gratiam non mo-
livit, sed ex justitiæ retributione indurari permisit.
De quibus, qui non faciente sed Deo permittente
regnant, Dominus per prophetam quæritur dicens :
*Ipsi regnaverunt, et non ex me : principes exstiterunt,
et non cognovi* (Ose. viii, 4). « Ex se, inquit Grego-
rius (*Pastoral. cap. 1*), et non ex arbitrio summi
D rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequa-